

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Liber I.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

PHAEDRI
AVGVSTI LIBERTI
FABVLARVM
AESOPIARVM

LIBER I.

PROLOGVS.

Aesopus auctor quam materiam repperit,
Hanc ego poliui versibus senariis.
Duplex libelli dos est: quod risum mouet,
Et quod prudenti vitam consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum ferae:
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

Licet ridendo dicere verum.

Eandem ego materiam, quam Aesopus primo inuenit, versibus senariis perpoliui. Eiusdem libelli duplex vsus est, et ad risum mouendum, et ad vitam prudenti consilio instruendam. Si quis vitio nobis vertere voluerit, quod non solum animalia bruta, verum etiam arbores loquantur: ille nos figmentis ludere meminerit.

FAB. I.

Lupus et Agnus.

Ad riuum eundem Lupus et Agnus venerant,
Siti compulsi: superior stabat Lupus,

A

Lon-

Longeq̄ue inferior Agnus. Tunc fauce improba
 Latro incitatus iurgii caussam intulit.
 Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi 5
 Istam bibenti? Laniger contra timens,
 Qui possum quaeso facere, quod querere, Lupe?
 A te decurrit ad meos haustus liquor.
 Repulsus ille veritatis viribus,
 Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi. 10
 Respondit Agnus: equidem natus non eram.
 Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
 Atque ita correptum lacerat iniusta nece.
 Haec propter illos scripta est homines fabula,
 Qui, fictis caussis, innocentes opprimunt. 15

Inimicos fuge potentes.

Lupus et Agnus sitientes venerant ad riuum
 eundem. Loco superiori stabat lupus, infe-
 riori agnus. Attamen iste, vt satisfaceret gu-
 lae rapaci, litis quaesuit caussam. Cur, in-
 quit, improbe, tu mihi bibenti aquam turbu-
 lentam fecisti? Agnus vero timens, obsecro,
 respondet, Lupe, quomodo id facere possum,
 cuius me accusas, criminis: cum aqua te prae-
 teriens tandem ad me defluat? Ipsa ille verita-
 te conuictus queritur porro, tu me ante hos sex
 menses contumelia affecisti. Equidem, re-
 spondet agnus, tunc temporis non eram natus.
 Vere tamen, oggannit lupus, mihi tum male
 dixit pater tuus: arripit innocuum, ac lacerat
 iniusta nece. Haec fabula propter illos homi-
 nes scripta est, qui, fictis caussis, innocentes
 opprimere non verentur.

FAB.

FAB. II.

Ranae Regem petentes.

Athenae cum florent aequis legibus,
 Procax libertas ciuitatem miscuit,
 Frenumque soluit pristinum licentia.
 Hinc conspiratis factionum partibus,
 Arcem tyrannus occupat Pisistratus. 5
 Cum tristem seruitutem flerent Attici,
 Non quia crudelis ille, sed quoniam graue
 Omne infuetis onus; et coepissent queri:
 Aesopus talem tum fabellam rettulit.
 Ranae, vagantes liberis paludibus, 10
 Clamore magno regem petiere a Ioue,
 Qui dissolutos mores vi compesceret.
 Pater Deorum risit, atque illis dedit
 Paruum tigillum, missum quod subito vadi
 Motu sonoque terruit pavidum genus. 15
 Hocmersum limo cum iaceret diutius:
 Forte vna tacite profert e stagno caput,
 Et, explorato rege, cunctas euocat.
 Illae, timore posito, certatim adnatant,
 Tignumque supra turba petulans insilit. 20
 Quod cum inquinassent omni contumelia:
 Alium rogantes regem misere ad Iouem:
 Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.
 Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
 Corripere coepit singulas: frustra necem 25
 Fugitant inertes: vocem praeccludit metus.
 Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iouem,
 Afflictis vt succurrat. Tunc contra Deus,
 Quia nolulistis vestrum ferre, inquit, bonum;

Malum perferte. Vos quoque, o ciues, ait, 30
 Hoc sustinete: maius ne veniat malum.

Omnis mutatio periculosa.

Cum Athenae iustis florerent legibus: immoderata passim visa est ciuitatem vexare libido, et imperii impatiens quisque libertatem anhelauit. Variis ergo obortis factionibus, Pisistratus tyrannus occupat arcem. Hanc adeo tristem cum Athenienses deplorarent feruitutem, suaque accusarent fata, non quod regis premerentur crudelitate, sed quod iugo non didicerint subdere collum: sequentem Aesopus narrauit fabulam. Ranae, paludibus ac stagnis libere vagantes, clamoribus magnis a Ioue regem petierunt: vt poenis ciuium compesceret insolentiam. Subridens Iupiter paruum illis dedit tigillum: quod subito demissum maiori strepitu ranis trementibus terrorem incussit. Cum vero diutius immotum haereret limo: vna forte prospicit rana, et, regis viribus exploratis, euocat omnes. Illae certatim sine timore adnatant, et in lignum petulantes infiliunt. Quod cum satis contumeliose tractassent: mittunt ad Iouem, qui alium sibi regem expeterent; quoniam, qui datus fuerit, inutilis esset. Illis ergo hydrum mittit, qui obuias sibi, quotquot corripere potest, dilaniat crudeliter. Ranae imbelles ac miserae obmutuerunt prae metu, et regis sui tyrannidem frustra vitare, et saluti consulere studuerunt. Rebus desperatis, clanculum ad Iouem supplicatum

eatum mittunt oratorem Mercurium, vt sibi
 misere afflictis et oppressis subueniret. Deus
 vero, nihil vobis, respondet, superest solatii,
 vel auxilii: et iugum regis mali iam subeun-
 dum est merito: quoniam, qui vobis praeesset,
 bonum ferre nolulistis. Et vos, o ciues, Aeso-
 pus tum Atheniensibus dixit, quod euenit, ae-
 quo sustinete animo: ne maius inde vobis ma-
 lum oboriatur.

F A B. III.

Graculus superbus et Pauo.

Ne gloriari libeat alienis bonis,
 Suoque potius habitu vitam degere:
 Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.

Tumens inani Graculus superbia,
 Pennas, Pauoni quae deciderant, sustulit,
 Seque exornauit: dein contemnens suos,
 Formoso se pauonum immiscuit gregi.

Illi impudenti pennas eripiunt aui,
 Fugantque rostris. Male multatus graculus
 Redire moerens coepit ad proprium genus: 10
 A quo repulsus tristem sustinuit notam.

Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:
 Contentus nostris si fuisses sedibus,
 Et quod natura dederat voluisses pati:
 Nec illam expertus esses contumeliam, 15
 Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

Candide et constanter.

Ne quis conetur alienis gloriari bonis: vi-
 vere contra studeant omnes rationibus suis
 conuenienter: hanc nobis fabulam Aesopus

reliquit. Fastu vanaque superbia tumens graculus, semet pennis, quae pauoni deciderant, egregie exornat: suumque contemnens genus auium, inter pauones, sua se specie commendantes, versari cupit. Pauones autem superbienti ac male sano graculo emendicatas rapiunt pennas, eumque plagis et vulneribus deformem propellunt. Moerens ergo redit ad suos, et iucundiori graculorum consuetudine solatium quaerit. Nec illi misellum recipiunt transfugam, quem societate sua indignum, ac turpitudinis macula notatum, exulare iubent. Tum ex illis, quos ante aspernatus fuerat, dixit quidam: si tu, perfide, nobiscum voluisses tua sorte viuere contentus, ac naturae beneficio perfrui: ea contumelia nunc afficiendus non esses, vt calumniatorem te tui paternis sedibus eiiciant.

F A B. IV.

Canis per fluuium carnem ferens.
 Amittit merito proprium, qui alienum appetit.
 Canis per flumen carnem dum ferret natans,
 Lympharum in speculo vidit simulacrum suum.
 Aliamque praedam ab alio ferri putans,
 Eripere voluit: verum decepta auiditas,
 Et, quem tenebat ore, demisit cibum,
 Nec, quem petebat, adeo potuit attingere.

Anaro tam deest quod habet, quam quod non habet.

Suas merito amittit opes, qui alienas appetit.
 Canis, per flumen natans, cum ferret frustum

sum carnis, illius effigiem in aqua, velut in speculo, aspicit, aliamque putat ab alio ferri praedam, quam rapere posset. Inhians vero isti sua fallitur auaritia: ut, quem ore tenebat, cibum dimitteret: neque alium attingeret, quem petebat ab umbra.

F A B. V.

Vacca et Capella, Ovis et Leo.

Nunquam est fidelis cum potente societas:
Testatur haec fabella propositum meum.

Vacca et Capella, et patiens Ovis iniuriae,
Socii fuere cum Leone in saltibus.

Hi cum cepissent ceruum vasti corporis:

Sic est locutus, partibus factis, Leo:

Ego primam tollo, nominor quia Leo;

Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;

Tum quia plus valeo, me sequetur tertia:

Malo afficietur, si quis quartam tetigerit.

Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

Aequalium incunda societas.

Cum potentiore nunquam tuta societas: quod hac mea demonstratur fabella. Vacca et Capella, et Ovis, cum Leone, ad praedam in saltibus captandam, foedus inierunt. Cum ceruum iustae magnitudinis cepissent: discerptum Leo sociis totidem partibus proposuit: et prima pars, dixit, mihi cedit, quia leo sum: alteram facile potestis tribuere mihi, quia fortis sum: tertiam mihi sumo, quia rex quadrupedum vobis impero: quartam impune absumserit nemo. Sic vnus Leo, non sine sociorum

esurientium ludibrio, totam sibi seruauit praedam.

FAB. VI.

Ranae ad Solem.

Vicini furis celebres vidit nuptias
 Aesopus, et continuo narrare incipit:
 Vxorem quondam Sol quum vellet ducere:
 Clamorem Ranae sustulêre ad sidera.
 Conuicio permotus quaerit Iupiter
 Caussam querelae: quaedam tum stagni incola,
 Nunc, inquit, omnes vnus exurit lacus,
 Cogitque miseras arida sede emori.
 Quidnam futurum est, si crearit liberos?

Iniqua malorum proles.

Aesopus vicinos vidit furis celebrare nuptias:
 et hanc narrauit fabulam. Cum sol quondam
 vxorem ducere vellet: ranae trementes et eiu-
 lantes clamorem ediderunt longe maximum:
 qui ad sidera surgens permouit Iouem, vt que-
 relarum caussam cognoscere cuperet. Sub-
 moesta ex ranis et promta quaedam, nunc, re-
 spondit, o! diuum Pater atque hominum rex,
 sol vnus suis radiis omnes lacus exurere con-
 sueuit, atque misellas nos cogere, terris exsicca-
 tis, emori. Quid, obsecro, fiet, si quando fi-
 lios procreauerit?

FAB. VII.

Vulpes ad personam tragicam.

Personam tragicam forte Vulpes viderat:
 O quanta species, inquit, cerebrum non habet.
 Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam
 Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

Prae-

Praestat ingenium formae.

Vulpes cum forte forma eleganti laruam videret: o! quanta, inquit, haec species est, sed cerebrum non habet. Propter illos hoc dictum est, quos fortuna honoribus cumulauit, prorsus vero ingenii et naturae dotibus priuauit.

F A B. VIII.

Lupus et Grus.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat: primum, quoniam indignos adiuuat:
Impune abire deinde quia iam non potest.

Os deuoratum fauce cum haereret Lupi:
Magno dolore victus, coepit singulos
Inlicere pretio, vt illud extraherent malum. 5
Tandem persuasa est iureiurando Gruis,
Gulaeque credens colli longitudinem,
Periculofam fecit medicinam Lupo.
Pro quo cum pactum flagitaret praemium: 10
Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput
Incolume abstuleris, et mercedem postulas.

Malorum mala fides.

Qui gratiam propter merita et praemium expectat ab improbis: duplex peccatum committit: primum, quod ope sua indignos iuuare studet: alterum, quod ipse maximum ab auxilio suo detrimentum et calamitatem accipit. Cum os deuoratum lupi haereret fauce: maximis ille affectus doloribus, obuiam sibi factos omnes, dicto laboris insigni pretio, permouere studet, vt tanto se liberaret malo. Grus tandem, promissione iureiurando firmata, vincitur.

A 5

tur.

tur, vt collum immitteret in lupi gulam, suoque periculo doloris extraheret caussam. Pro eo beneficio cum stipulatam postularet mercedem: animal ingratum es, inquit lupo, quod caput meis faucibus commissum potuisti seruare saluum, et aliud praemium requirere non vereris.

FAB. IX.

Passer et Lepus.

Sibi non cauere, et aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.

Oppressum ab aquila fletus edentem graues,
Leporem obiurgabat Passer: vbi pernicitas
Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes? **¶**
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum ra-
Questuque vano clamitantem interficit. (pit,
Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modo securus nostra irridebas mala,
Simili querela fata deploras tua. **IO**

Tibi consule.

Paucis demonstrabo versibus, stultum esse, qui sibi met ipsi non consulere, et aliis consilium dare velit. Passer obiurgat leporem, quod ab aquila oppressus fortunam suam largis deploraret lacrumis. Vbi iam, inquit subridens, tua vbique laudata velocitas? Siccine pedes tui cessare potuerunt? Dum loquitur, accipiter passerem imprudentem arripit, et frustra clamitantem laniat. Quod cum lepus videret semianimus: mortis quoddam a socio capit solatium, ac, miserum te! inquit, qui rerum tuarum
adeo

adeo securus mea mala ludere modo poteras,
iam simili fato tuam ipse calamitatem deploras.

F A B. X.

Lupus et Vulpes, iudice Simio.

Quicumque turpi fraude semel innotuit,
Etiam si verum dicit, amittit fidem.
Hoc attestatur brevis Aesopi fabula.

Lupus arguebat Vulpem furti crimine :
Negabat illa, se esse culpae proximam.
Tunc iudex inter illos sedit simius.
Vterque causam cum perorassent suam :
Dixisse fertur Simius sententiam :
Tu non videris perdidisse, quod petis ;
Te credo furripuisse, quod pulchre negas. 10

Ex consuetudine fama.

Si quis fraudibus atque mendaciis gaudere
creditur : fidem ille etiam amittit, si quando
verum dicit. Hoc brevis demonstrat Aesopi
fabula. Lupus furti accusabat vulpem. Haec
contra negabat, furtum a se commissum, aut
villo modo fieri posse tanti criminis reum. Iu-
dicem ergo constituunt simium, suamque co-
ram illo scite perorat vterque causam. Quo
facto, simius hanc dixit sententiam. Te, lupe,
nunquam credo, perdidisse, quod petis : et tu,
vulpecula, omnino mihi videris furripuisse,
quod multis verbis ambitiose negas.

F A B. XI.

Asinus et Leo venantes.

Virtutis expers, verbis iactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.

Ve-

Venari, Afello comite, cum vellet Leo:
 Contexit illum frutice, et admonuit simul,
 Ut infueta voce terreret feras,
 Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus
 Clamorem subito totis tollit viribus,
 Nouoque turbat bestias miraculo.
 Quae dum pauentes exitus notos petunt,
 Leonis affliguntur horrendo impetu. 10
 Qui postquam caede fessus est, Asinum euocat,
 Iubetque vocem premere: tunc ille insolens,
 Qualis videtur opera tibi vocis meae?
 Insignis, inquit, sic, ut nisi nossem tuum
 Animum genusque, simili fugissem metu. 15

Opinio fallit.

Qui sine virtute virtutis iactat gloriam, fallit
 quidem alios, sed luditur ab illis, quibus inno-
 tuit. Cum leone vecors et languidus cum vel-
 let aliquando venari asinus: lassum animal
 occulit fruticum latebris, et incondito clamo-
 re feras terrere iussit: ut ipse facilius fugientes
 capere posset. Afellus, arborum bene tectus
 ramis, intempestiuum totis viribus edit sonum,
 ac nouo miraculo bestias siluae turbat, quae tre-
 mentes ac perterritae, dum euadere conantur,
 in vngues incidunt inuicti leonis. Hic tan-
 dem caede fessus asinum euocat, suamque iu-
 bet premere vocem. At ille insolens, haecine,
 inquit, praestans et iucunda tibi vocis fuit o-
 pera? Sic sane, leo respondet, ut, nisi animus
 genusque tuum ante mihi fuisset cognitum,
 mihi met ipsi terrorem iniicere potuisses.

FAB.

F A B. XII.

Ceruus ad fontem.

Laudatis vtiliora, quae contemferis,
Saepe inueniri, haec exerit narratio.

Ad fontem Ceruus, cum bibisset, restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.

Ibi dum ramosa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat:

Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere coepit, et cursu leui

Canes elusit. Silua tum excipit ferum,

In qua, retentis impeditus cornibus,

Lacerari coepit morsibus saeuis canum.

Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:

O me infelicem! qui nunc demum intelligo,

Vt illa mihi profuerint, quae despexeram,

Et quae laudaram, quantum luctus habuerint.

Nimum ne crede colori.

Haec fabula docet, vsum illis rebus saepe inesse maiorem, quas contemferis, quam quae summis elatae fuerint laudibus. Ceruus, cum bibisset, ad fontem restitit, suamque effigiem in liquore, velut in speculo, repraesentatam vidit. Tum sua miratur et laudat ramosa cornua; nimiam contra despicit atque deplorat tenuitatem crurum. Mox venatorum clamore perterritus coepit fugere per campum, ac celeri cursu ab insultibus canum in siluam se recepit: cornubus autem, quod arborum saepius implicerentur ramis, impeditus saeuis canum morsibus laceratur. In agone ita fertur sua fata de-

plo-

plorasse : me miserum ! qui fero nimis nunc tandem intelligo, egregie mihi profuisse, quae vituperavi ; et quae satis non poteram laudare, exitium tantosque mihi parauisse dolores.

F A B. XIII.

Vulpes et Coruus.

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,
Serae dant poenas turpes poenitentiae.

Cum de fenestra Coruus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore :
Hunc vidit Vulpis, dehinc sic ocepit loqui :
O qui tuarum, Corue, pennarum est nitor !
Quantum decoris corpore et vultu geris !
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum, quem celeriter 10
Dolosa Vulpis avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corui deceptus stupor.
Hac re probatur, quantum ingenium valet,
Virtute et semper praeualet sapientia.

Insidiosa aduatio.

Qui blandis adulatorum vocibus credit, et
vanis sibi patitur imponi laudibus : eum non
sine damno ac dedecore leuitatis sui que fastus
poenitet. Cum aliquando coruus, celsa resi-
dens arbore, vellet comedere caseum, quem ex
aedibus rustici modo rapuerat : istum sub arbo-
re appetens vulpes de laudibus corui multa e-
gregie protulit. Te felicem, corue, inquit,
quanta haec tua maiestas ; quam nigrescens
pennarum placet nitor. O ! si dignam tanto
cor-

corporis splendore haberes vocem: auium es-
 ses princeps, ac nulli prorsus animalium pul-
 chritudine cederes. Tum fastu elatus et im-
 prudens ostentat vocem, ac rostro caseum emit-
 tit: quem fallax et callida vulpecula avidis
 statim rapit dentibus. Coruus autem, blandis
 laudibus et adulatione deceptus obstupescit ac
 dolet. Hac fabula demonstratur, quantum
 valeat ingenium, et quod ipsa virtute sit prae-
 stantior sapientia.

F A B. XIV.

Ex Sutore Medicus.

Malus cum Sutor, inopia deperditus,
 Medicinam ignoto facere coepisset loco,
 Et venditaret falso antidotum nomine:
 Verbofis acquisiuit sibi famam strophis.
 Hic cum iaceret morbo confectus graui
 Rex vrbs, eius experiendi gratia,
 Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua
 Antidoto miscere illius se toxicum,
 Hoc bibere iussit ipsum, posito praemio.
 Timore mortis ille tum confessus est, 10
 Non artis vlla medicae se prudentia,
 Verum stupore vulgi, factum nobilem.
 Rex, aduocata concione, haec edidit:
 Quantae putatis esse vos dementiae,
 Qui capita vestra non dubitatis credere, 15
 Cui calceandos nemo commisit pedes.
 Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
 Quorum stultitia quaestus impudentiae est.

Stulta

Stulta credulitas.

Cum malus Sutor, egestate coactus, peregre hominibus, quibus nunquam innotuit, aegrotantibus mederi coepisset, quisquiliis que suas falso medicinae nomine vendicaret: multis verborum lenociniis et insigni loquacitate mox incomparabilem sibi artis et experientiae famam acquisiuit. Cum vero ex urbis principibus quidam graui morbo laboraret, cui aduersus quaecunque venena antidotum commendauerat suum: medici experiundi gratia, scyphum sibi curabat porrigi, infusa aqua, simulabat, toxicum se antidoto miscere, positoque praemio, quod miscuerat, eum bibere iubebat. Ille vero, mortis metu, confitetur, se, non arte sua, quod sutor esset, verum opinione vulgi, celebrem factum esse medicum. Princeps ergo, concione aduocata, videte iam, inquit, ac erubescite propter insignem dementiam, qui vestra illi non dubitatis credere capita, cui pedes suorum nemo calceandos committere voluit. Hoc vere putem esse dicendum de illis, quorum credulitas atque stultitia ignauiae hominum ac impudentiae subuenire solet.

FAB. XV.

Asinus ad senem Pastorem.

In principatu commutando ciuium
 Nil praeter domini nomen mutant pauperes.
 Id esse verum, parua haec fabella indicat.

Asellum in prato timidus pascebat senex.
 Is, hostium clamore subito territus,
 S
 Sua-

Suadebat Afino fugere, ne possent capi.
 At ille lentus, quaeso, num binas mihi
 Clitellas impositurum victorem putas?
 Senex negavit. Ergo quid refert mea,
 Cui seruiam? clitellas dum portem meas. 10

Sors sua quemque manet.

Vtut ciues alios nanciscantur principes, ea
 mutatione dominorum ac diuersa ratione,
 suam, qui inferioris sunt ordinis, conditionem
 non mutant. Hoc verum esse, breuis testatur
 sequens fabula. De rebus suis valde sollicitus
 senex, in prato vt pasceretur, suum agebat A-
 finum: et subito hostium clamore perterritus
 fugam illi suadebat: ne suo malo nunc veni-
 ret in manus rapaces hostium. Afellus con-
 tra nihil festinans, quaeso, inquit, mihi ti-
 mere noli. Num etiam putas fore, vt hostis
 mihi, reportata victoria, binas sit impositurus
 clitellas? Dominus negat. Mea ergo, respon-
 det, nihil interest, cui seruiam, meas dum-
 modo portem clitellas.

FAB. XVI.

Cernus et Onis.

Fraudator nomen quum locat sponso improbo,
 Non rem expedire, sed mala videre expetit.

Ouem rogabat Cernus modicum tritici,
 Lupo sponso. At illa praemetuens doli:
 Rapere atque abire semper assuevit Lupus; 5
 Tu de conspectu fugere veloci impetu:
 Vbi vos requiram, quum dies aduenerit?

B

Cni

Cui credas, vide.

Malae fidei sponsor si patitur suum, tanquam debitoris, nomen esse in tabulis: non cupit istud, quo obligatur, mutuum soluere, sed damnnum dare creditoribus. Ceruus ab oue petebat, vt mutuum sibi daret tritici modicum: et fore dicebat, si sua illi non sufficeret fides, vt bonum nomen esset sponsor Lupus. Dolum vero metuens ouis, at ille, respondet, quem vocas sponsoem, Lupus rapere omnia et abire consueuit: tu quoque cursu facili creditoris aspectum fugis. Qui ergo vos reperire, aut in ius vocare potero, si praestituta solutioni venerit dies?

F A B. XVII.

Ouis, Canis et Lupus.

Solent mendaces luere poenas maleficii.

Calumniator ab Oue cum peteret Canis, Quem commendasse panem se contenderet: Lupus citatus testis, non vnum modo Deberi, dixit, verum affirmauit decem. Ouis, damnata falso testimonio, Quod non debebat, soluit. Post paucos dies Bidens iacentem in fouea conspexit Lupum: Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

Veritatis et Iustitiae vindex ipse Deus.

Mendaces et maleficos poena sua semper manet. Dolo suspecta et iniquissima actione canis ab oue panem petit: quem contendebat nuper ab se depositum apud illam fuisse. Lupus citatur testis, qui, non vnum, sed decem pa-

panes calumniatori reddendos esse affirmat. Ovis falso damnatur testimonio, et soluit, quod non debebat: sed breui post Lupum in fouea iacentem conspicit. Haec ergo merces, inquit, tibi, pro mendacijs et fraudibus, a superis rependitur.

F A B. XVIII.

Mulier parturiens.

Nemo libenter recolit, qui laesit, locum.

Instante partu, Mulier, actis mensibus,
Humi iacebat, flebiles gemitus ciens.

Vir est hortatus, corpus lecto reciperet:

Onus naturae melius quo deponeret.

Minime, inquit, illo posse confido loco

Malum finiri, quo conceptum est initio.

Suo quisque periculo cautus.

Quae noxia fuerunt, lubentius ea fugimus loca. Mulier partui proxima, cum plurimos persentiret dolores: humo iacens gemitu eiulatuque miserabili suam deplorabat sortem. Coniux tum hortabatur eam, ut in lectum se reciperet, ubi parere facilius lassumque corpus levare posset. Minime vero, respondet, hoc mihi persuaseris unquam fore, ut malum eo finiatur loco, qui tristis ipse illius causa fuit.

F A B. XIX.

Canis parturiens.

Habent insidias hominis blanditiae mali,
Quas ut vitemus, versus subiecti monent.

Canis parturiens cum rogasset alteram,
Ut foetum in eius tugurio deponeret:

Facile impetrauit: dein reposcenti locum 5
 Preces admouit: tempus exorans breue,
 Dum firmiores posset catulos ducere.
 Hoc quoque consumto, flagitare validius
 Cubile coepit. Si mihi et turbae meae
 Par, inquit, esse potueris, cedam loco. 10

Maximo nostro malis benefacimus damno.

Sunt hominum malorum blanditiae semper insidiarum plenae: quas ut vitemus, pauca fabula sequens monet. Canis parturiens, quod aliam rogasset, ut enixae iam sibi naturae onus, in illius tugurio deponere liceret, voti statim facta est compos. Illa cum postea suum reposceret locum: precibus insistit, et orat, per breue tempus sibi concederet istuc cum suis morari, quoad firmiores ducere posset catulos. Postquam id quoque temporis consumtum, loci domina suum coepit validius flagitare cubile. At hospes ingrata tum, inquit, ego tibi cedam loco, si mihi meisque non impar fueris.

FAB. XX.

Canes Famelici.

Stultum consilium non modo effectu caret,
 Sed ad perniciem quoque mortales deuocat.
 Corium depressum in fluuio viderunt canes;
 Id ut comesse extractum possent facilius,
 Aquam coepere bibere: sed rupti prius 5
 Periere, quam, quod petierant, contingerent.

Stultitia sibimet ipsa grauis.

Stultorum consilia non modo successu carent, verum etiam auctoribus suis exitium parant.

rant. Canes corium in fluuio depressum vident: quod vt tanto facilius deuorare queant, inito consilio, aquam absorbere instituerunt. Sed, ruptis hauustu nimio corporibus, ante perierunt omnes, quam, quod petiere, corium attingere potuerunt.

F A B. XXI.

Leo senex, Aper, Taurus et Asinus.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,
Ignauis etiam iocus est in casu graui.

Defectus annis, et desertus viribus,
Leo quum iaceret, spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus, 5
Et vindicauit ictu veterem iniuriam:
Infestis Taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus vt vidit, ferum
Impune laedi, calcibus frontem extudit.
At ille exspirans: fortes indigne tuli 10
Mihi insultare: te, naturae dedecus,
Quod ferre cogor, certe bis videor mori.

Ante obitum nemo beatus.

Qui pristinam dignitatem amisit, etiam ab ignauis contemnitur, et leuissimis quibusque hominibus in re graui ludibrio esse solet. Cum Leo valde senex, suisque desertus viribus, decumberet humi prope et in agone versaretur: Aper accedit, eumque propter iniurias, olim sibi illatas, iratus atque saeuens lacerat dentibus: mox et Taurus ad eum venit, ac hostis adeo sibi quondam infensi corpus incuruis contundit cornibus. Quod cum Asinus videret,

B 3

et

et ipse, vt leonem, adeo sibi semper formidandum, laederet impune, percutit frontem calcibus. At miser ille inter suspiria, fortes, inquit, mihi insultare, aequo non potui ferre animo: nunc vero etiam mihi, tanta affecto ignominia, bis mori videor, quod ferre coactus sum te, auritum miserandae sortis asellum.

F A B. XXII.

Mustela et Homo.

(necem

Mustela, ab homine presa, quum instantem Effugere vellet, quaeso, inquit, parce mihi, Quae tibi molestis muribus purgo domum.

Respondit ille: faceres si causa mea, Gratum esset, et dedissem veniam supplici: 5

Nunc quia laboras, vt fruaris reliquiis, Quas sunt rosuri, simul et ipsos deuores, Noli imputare vanum beneficium mihi.

Atque ita locutus, improbam letho dedit.

Hoc in se dictum, debent illi agnoscere, 10
Quorum priuata seruit vtilitas sibi,
Et meritum inane iactant imprudentibus.

Sibi non alteri priuata vtilitas seruit.

Mustela, cum se, post varia furta, sentiret ab homine prehensam, ac certo destinatum neci, vt supplicium effugeret vltimum; obsecro te, inquit, parce mihi: quod insons scelerisque pura domum muribus, peste nefaria, purgare, resque tibi ab istorum petulantia tutas et integras custodire soleo. At homo subiratus, quadrupedum pessima, respondet, istud si mea causa faceres: rem mihi praestiteris
gra-

gratissimam, ac facile potueris supplex cum libertate tot scelerum impetrare veniam. Sed quia omnem propterea impendis operam: ut tibi tuisque commodis seruias: ut non solum adeo tibi inuisos cohibeas morfu mordaces; verum etiam ipsa nefaria fauce absumas, quae mures vel arrodere fuerunt conati, vel intacta reliquerunt: noli iactantia vana beneficium exprobrare mihi. Quo dicto, reluctantem atque furentem audacia ictu percussit misere, ac letho dedit. Hoc in se dictum, arbitrari debent omnes, qui publicis res praeferunt domesticas, atque dum priuata quaerunt commoda, non verentur sua imprudentibus commendare merita.

F A B. XXIII.

Canis fidelis.

Repente liberalis stultis gratus est;

Verum peritis irritos tendit dolos.

Nocturnus quum Fur panem misisset Cani,

Obiecto tentans an cibo possit capi:

Heus, si, inquit, linguam vis meam praeccludere,

Ne latrem pro re domini: multum falleris.

Namque ista subita me iubet benignitas

Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

Inuisa malorum liberalitas bonis.

Qui repente praeter opinionem liberalis est, stultis quidem valde placet; rerum vero minime securis atque prudentibus imponere nequit. Fur noctis opportunitatem captans, atque rebus inhians alienis, studet intrare aedes,

des, canis formidandi probe custoditas vigilia.
 Huic cum frustum obiiceret panis, atque experiretur, an beneficio quodam conciliari posset: heus furcifer, inquit canis, meam frustra studes praeccludere linguam, quo minus domini latrando pergerem tueri bona. Multo enim magis haec inopinata beneficentia tua me vigilare iubet, atque cauere, ne quid res domestica detrimenti capiat, et tu, mea culpa, iniquis moliminibus lucrari possis.

FAB. XXIV.

Rana rupta et Bos.

Inops potentem dum vult imitari perit.
 In prato quodam Rana conspexit Bouem,
 Et tacta inuidia tantae magnitudinis,
 Rugosam inflauit pellem: tum natos suos
 Interrogauit, an boue esset latior?
 Illi negarunt. Rursus intendit cutem
 Maiore nisu: et simili quaesuit modo,
 Quis maior esset. Illi dixerunt bouem.
 Nouissime indignata, dum vult validius
 Inflare sese, rupto iacuit corpore

10

Metiatur se quisque suo modulo ac pede.

Pauper, si diuites vult imitari, ad exitum ruit. Aliquando rana obambulantem in prato, et pascua superbientem vidit bouem, eumque tantae magnitudinis esse, obstupuit. Mox ipsa mouetur pulchritudinis inuidia, vt rugosam inflaret pellem, suosque natos interrogaret, num forma et magnitudine iam sit praestantior boue. Negantibus illis, cuticulam
 vento

vento fastuque latius extendit : ac rursus
 quaerit, vter speciem prae se maiorem ferat.
 Respondent, immensum matre sublimiorem
 esse bouem. Subirascens denuo dum semet
 impetu fortiori inflare studet: rumpitur infe-
 lix, atque, fractis inuidia visceribus, humi iacet.

FAB. XXV.

Canis et Crocodilus.

Consilia qui dant praua cautis hominibus,
 Et perdunt operam, et deridentur turpiter.

Canes currentes bibere in Nilo flumine,
 A Crocodilis ne rapiantur, traditum est.

Igitur, cum currens bibere coepisset canis, 5

Sic Crocodilus : quamlibet lambe otio,

Accede, pota leniter, et noli dolos,

Inquit, vereri. At ille, facerem mehercule,

Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

Suspecta malorum consilia bonis.

Qui sapientibus atque cautis hominibus pra-
 ua student impertire consilia : et suam perdunt
 operam, ac semet ipsos aliis deridendos pro-
 pinant turpiter. Memoriae proditum legimus,
 canes, a crocodilis ne rapiantur, ex Nilo flu-
 mine currentes, bibere. Cum ergo siti com-
 pulsus aliquando canis ipso cursu aquam
 degustare coepisset : Crocodilus, in otio et
 pace, inquit, lambe quantum satis aquarum;
 accede propius, extingue placide leniterque
 sitim : infidiarum prorsus nihil est, quod possis
 timere. At, facerem profecto, respondet ca-

B 5

nis,

nis, facerem, quod suades: nisi, te carnis meae percupidum esse, constaret.

FAB. XXVI.

Vulpes et Ciconia.

Nulli nocendum: si quis vero laeserit,
Multandum simili iure, fabella admonet.

Vulpes ad coenam dicitur Ciconiam
Prior inuitasse, et illi in patina liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia.

Quae, Vulpem quum reuocasset, intrito cibo,
Plenam lagenam posuit: huic rostrum inferens,
Satiatur ipsa, at torquet conuiuam fame.

Quae quum lagenae frustra collum lamberet:
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

Par pari relatum.

Nemini prorsus nocere licet, aut laedere quempiam: si laeserit aliquis, eodem in semet iure alium patiatur uti. Idem sequens annotat fabula. Vulpes dicitur primum ciconiam vocasse ad conuiuium, et in patina iusculum illi apposuisse: quod esuriens et, propter rostrum sorbitioni minus accommodatum, ludibrio habita, nullo modo degustare potuerit. Breui post vulpem inuitat ciconia: et, quod intritos continebat omnes cibos, vas illi apponit oblongum: cui ipsa rostrum quidem facile inferens, ingurgitat quantum satis: at hospitem, ut par referatur pari, fame torquet atque ignominia. Cum et frustra lagenae col-

collum esuriens lamberet vulpes : Ciconia facinus dicitur hac sententia comprobasse : sua quisque exempla aequo animo ferre debet.

F A B. XXVII.

Canis et Thesaurus, et Vulturius.

Haec res auaris esse conueniens potest,
Et, qui humiles nati, dici locupletes student.

Humana effodiens ossa, thesaurum canis
Inuenit, et violarat quia Manes Deos,
Iniecta est illi diuitiarum cupiditas, 5
Poenas vt sanctae religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi (per
Fame est consumtus; quem stans Vulturius su-
Fertur locutus: o! Canis, merito iaces,
Qui concupisti subito regales opes, 10
Triuio conceptus, et educatus stercore.

Vitium auaritia terrius est nullum.

Haec fabula auaris scripta esse potest, et illis,
qui, vt tenui sunt fortuna et loco, potentes vi-
deri volunt atque locupletes. Esuriens canis,
dum cadaueris humani effodit ossa, vt satisfac-
ceret gulae, forte fortuna thesaurum inuenit:
et quia Deos manes laeserat, maximas vt vio-
latae religionis ac temeritatis suae penderet
poenas, sacrilegae iniecta est sacra fames auri,
et insatiabilis diuitiarum cupido. Dum ergo
suum, quem inuenit, oculo irretorto custodit
thesaurum, obliuiscitur cibi, et fame consum-
tus perit. Vultur, stans super foetidum cada-
ver, o! canis, inquit, qui opibus magis, quam
vita et salute delectatus, mortis fuisti causa
ipse

ipse tibi, heic merito extinctus iaces. Nam
 stulte regales diuitias qui concupiscere potu-
 isti; cum in propatulo conceptus et stercore
 educatus fueris?

FAB. XXVIII.

Vulpes et Aquila.

Quamuis sublimes debent humiles metuere:
 Vindicta docili quia patet solertiae.

Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,
 Nidoque posuit pullis escam vt carperent.
 Hanc persecuta mater, orare incipit, 5
 Ne tantum miserae luctum importaret sibi.
 Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.
 Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
 Totamque flammis arborem circumdedit,
 Hosti dolorem damno miscens sanguinis. 10
 Aquila vt periculo mortis eriperet suos,
 Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

Vt ameris amabilis esto.

Homines quamuis superiori loco sint positi,
 humiles tamen, et qui inferioris sunt ordinis,
 metuere debent: quia docilis semper ad vin-
 dictam solertia; et nemini prorsus ad nocen-
 dum non satis est virium. Aquila quondam
 in sublime vulpis sustulit catulos, eosque pullis
 suis tradidit laniandos in nido, vt carperent
 escam. Aquilam persequitur vulpes, et ob-
 secrat, suis vt parceret, neque tanti imponeret
 sibi causam doloris. Ista vero sublimiori loco
 tuta preces, luctum, sacra, et omnia contemnit;
 sibi tantum adeo iucundam gratulatur prae-
 dam.

dam. Re desperata vulpes ab ara torres confestim rapit, atque cingit totam arborem flammis: vt parem hosti offerret dolorem ex interitu pullorum, incendio quos misere minabatur extinguere. Tum aquila supplex incolumes vulpi reddidit catulos: vt suos quoque trementes pullos praesenti mortis periculo eriperet.

FAB. XXIX.

Asinus irridens Aprum.

Plerumque stulti risum dum captant leuem,
Graui distringunt alios contumelia,
Et sibi nociuum concitant periculum.

Asellus Apro cum fuisset obuius:
Salue, inquit, frater. Ille indignans, repudiat
Officium, et quaerit, cur sic mentiri velit?
Asinus, demisso pene: si similem negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.
Aper cum vellet facere generosum impetum,
Repressit iram: et facilis vindicta est mihi: 10
Sed inquinari nolo ignauo sanguine.

*Facile iocularis audacia nocet: rebus seriis
seueritatem adhibe, iocosis leporem.*

Stulti, dum ingeniosi videri volunt, risumque captant, plerumque alios graui afficiunt iniuria, ac sibimet ipsis maxime nocent. Asellus, cum forte obuiam venisset apro, salue, inquit, frater. Iste contra indignatus noluit ab ignauo ita salutari: cur, inquit, tam manifeste non dubitas mentiri: cum ego tibi nulla parte similis, nec frater tuus villo modo esse possim. Asi-

Asi-

Asinus membrum iactat suum, et hoc tamen, pergit, rostro tuo est simile: si me negas similem esse tibi. Aper cum vellet magno impetu irruere in lasciuum, et vindicare contumeliam: animo generoso repressit iram: et facile, dixit, ego quidem scelus tuum punire possem: sed ignauo sanguine maculari nolo.

FAB. XXX.

Ranae metuentes Taurorum proelia.

Humiles laborant, vbi potentes dissident.

Rana in palude pugnam Taurorum intuens,
Heu, quanta nobis instat perniciēs! ait.

Interrogata ab alia, cur hoc diceret,

De principatu cum decertarent gregis,

Longeque ab illis degerent vitam Boues.

Est statio separata, ac diuersum genus,

Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,

Paludis in secreta veniet latibula,

Et proculcatas obteret duro pede.

Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

Nulla salus bello.

Infimae conditionis homines periclitantur, suaque sentiunt incommoda, vbi principes constituunt de iure publico disceptare armis. Rana, cum in palude tremens eiulansque taurorum pugnare conspiceret, heu! inquit, quanta calamitas iam nobis imminet. Tum alia timoris et querelarum ex ea causam quaerit: cum boues de principatu gregis certarent, et procul ab illis sua pascua seruarent. Est, factor, respondet, illis statio separata, et genus plane

plane diuersum, vt de rebus nostris parum videantur esse foliciti. Alter vero ille, a victore pulsus, dum profugit, palustria obambulabit loca, et nostris nos latibulis graui pede conuassatas misere conculcabit. Atque ita furor illorum omnino ad nos pertinet.

FAB. XXXI.

Miluius et Columba.

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium inuenit.

Columbae saepe cum fugissent Miluium,
Et celeritate pennae vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius aeuum ducitis,
Quam regem me creatis, ic̄to foedere,
Qui vos ab omni tutas praestem iniuria?
Illae credentes tradunt sese Miluio:
Qui regnum adeptus coepit vesci singulas,
Et exercere imperium saeuis vnguibus.
De reliquis tunc vna, merito plectimur.

Malis caput noli committere suum.

Qui cum salute caput suum improbi committit curae ac fidei, suum imprudens, auxilii loco, exitium parare videtur. Miluius adhuc frustra columbis struxerat infidias: et incolumes illae saepius celeri euaserant volatu. Coepit ergo cogitare de fraude: atque vt bene et nauiter raperet infontes, blanditiis vsus est. Cur, inquit, mauultis, imbelles auiculae, perpetuo versari timore et periculo; quam, foedere

penetrans, quod diligentia acquiritur, acumen succedat. Quicumque ergo fuerit natus cum narratione iocus, dum aures afficit, atque suum praestat usum, non auctoris nomine, sed ipsa re suoque merito, commendatur. Equidem data opera veteris Aesopi consuetudinem servare studebo: attamen si quandoque commodum fuerit visum, inserere aliquid, ut sensus varietas delectet; istud, lector benevole, vitio mihi vertere noli. Sic fore credo, ut ipsa brevis tibi gratiam referat. Quam ne pluribus commendem verbis: attende, quaeso, cur morem non debeas gerere nimis cupide flagitantibus: illis contra, qui modeste agunt, vltro etiam offerendum sit illud, quod abs te petere dubitarunt.

FAB. I.

Iuencus, Leo, et Praedator.

Super Iuencum stabat deiectum Leo.
 Praedator interuenit, partem postulans.
 Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
 Et improbum reiecit. Forte innoxius
 Viator est deductus in eundem locum, 5
 Feroque viso, rettulit retro pedem.
 Cui placidus ille; Non est quod timeas, ait,
 Et, quae debetur pars tuae modestiae,
 Audacter tolle. Tunc diuiso tergore,
 Siluas petiuit, homini ut accessum daret. 10
 Exemplum egregium prorsus et laudabile.
 Verum est, auiditas diues, et pauper pudor.

Sine verecundia nihil potest esse rectum.

Cum leo victor staret super iacentem iuencum,
 C

cum,